

aureus alter vero argenteus. Pavimentum autem ejus unum laterem habet de auro, alterum vero de argento. Murus vero istius palatii totus est lamatus interius lamis aureis,<sup>1</sup> in quibus lamis sculpti sunt equites solum de auro habentes circa caput unum magnum circulum aureum sicut hic habent nostri sancti; hic autem circulus totus est plenus lapidibus preciosis. Insuper tectum ejus totum est de auro puro; ut autem breviter et finaliter nos loquamur, hoc palatium ditius et pulchrius est quod hodie sit in mundo. Canis<sup>2</sup> tamen grandis Cathaii multociens fuit in bello in campo cum isto, quem iste semper vicit et superavit. Sic etiam multa alia sunt quæ non scribo.

22. *De contratâ Talamasin et arboribus ejus farinam dantibus, etc.*

Penes hanc contratam est una alia contrata quæ vocatur Patem<sup>3</sup> quam alii vocant Talamasim.<sup>4</sup> Rex hujus contratæ multas insulas habet sub se. In hac contrata inveniuntur arbores farinam producentes; aliquæ etiam quæ mel producunt<sup>5</sup> aliquodque venenum, quod est periculosius venenum quod sit in mundo. Nam circa ipsum non invenitur aliquod remedium nisi unum. Nam si aliquis de illo veneno sumpsisset accipiat de stercore hominis et ipsum distemperet aqua, quem et<sup>6</sup> bibat, propter quod ab illo veneno totaliter liberabitur.<sup>7</sup> Arbores autem isto modo farinam producunt. Nam ipsæ sunt magnæ, non tamen multum altæ,<sup>8</sup> etiam eas una securi incidunt circa pedem,<sup>9</sup> propter quod quidam liquor ab ipsis exhauritur ad modum collæ<sup>9</sup> quem liquorem ipsi ponunt in saccis factis ex foliis, quos dimittunt per xv dies in sole et in fine xv dierum ex ipso liquore farina facta est, quam postea ponunt per duos in aqua maris; deinde lavant eam aqua dulci et sic faciunt pastam bonam<sup>11</sup> de mundo. Et tunc de ipsa faciunt quid volunt, seu cibos seu panem multum bonum, de quo ego frater Odoricus<sup>12</sup> jam comedi; hæc autem omnia propriis oculis ego vidi. Hujus modi autem panis exterius pulcher est, interius autem<sup>13</sup> niger est. In ripa<sup>14</sup> hujus contratæ versus meridiem est mare mortuum, aqua cujus semper currit versus meridiem. Et si aliquis per juxta ipsius ripam vadit, et cadit in aquam, nunquam ille qui talis invenitur. In hac etiam contrata sunt canaveriæ<sup>15</sup> seu arundines longæ bene pluribus lx passibus, magnæ ut arbores. Aliæ etiam cannæ

<sup>1</sup> *Hak.* parietes . . . laminati laminis aureis; *Boll.* muri quoque ejus intrinsecus laminis aureis sunt vestiti.

<sup>2</sup> *Ven.* Chaam; *Hak.* Canis de Katay.

<sup>3</sup> *Ven.* and *Hak.* Panten; *Far.* Panthen; *Ut.* Paten; *Boll.* Pacen; *Marc.* Paten; *Ram.* Paten.

<sup>4</sup> *Ven.* Malamasin; *Far.* Thamalsi; *Ut.* Malamasmi; *Hak.* Tathala masim; *Boll.* Thalamasym; *Mus.* Thalamasin; *Marc.* Talamaxim; *Ram.* Malamasmi.

<sup>5</sup> *Ven.* Sunt etiam producentes mel, et aliquæ producentes vinum, etc.

<sup>6</sup> *Hak.* in bona quantitate.

<sup>7</sup> *Hak.* statim fugat venenum faciens exire per inferiores partes; *Mus.* to same effect, adding et sic erit salvatus et a veneno totaliter liberatus.

<sup>8</sup> *Far.* has a large hiatus from quem et bibat to this.

<sup>9</sup> *Hak.* magnæ et bassæ; *Mus.* magnæ et multum altæ.

<sup>10</sup> *Hak.* sicut gummæ; *Mus.* sicut gumma collæ.

<sup>11</sup> *Hak.* et *Mus.* et odorifera (m).

<sup>12</sup> *Boll.* non solum pro necessitate sed etiam pro delectatione pluries manducavi.

<sup>13</sup> *Ven.*, *Far.*, *Hak.*, *Mus.*, *Boll.* aliquantulum niger.

<sup>14</sup> *Far.* riveriâ.

<sup>15</sup> *Ven.* Cannæ variæ (no seu arundines). *Far.* has Canaveriæ.